IN OBITUM ILLUSTRISSIMI LAUDATISSIMAEQUE MEMORIAE PRINCIPIS...

Christoph Stummel


Digitized by Google

POMERANIA LVGENS.

EHeu, quis largas lachrymarum fundere guttas
Perpetuoq; dabit fonte rigare genas?
Si mihi tot fluerent capitis de vertice summo
Quot Viadrus pleno gurgite voluit aquas:
Non tamen vndarum satis esset, si mea damna
Atq; velim tristem flere, dolere, vicem.
Ille meus Princeps Patriæ Pater occidit eheu
Barnimus senior, Dux pietate grauis.
Lugete ergo omnes, quibus vna eademq; relicta est
Lugendi tanti funera causa Ducis.
Lugete Illustres Pomerano sanguine nati
Cognatum atq; Patrem, lumina nostra, Duces.
Et lugete, quibus mansueto pectore semper
Iam longo & multo tempore iura dedit.
ἤπιος ὥς τε πατὴρ *patrio complexus amore est,*
Et fouit tanq̃ pignora chara sinu.
Vos inquam latis quotcunq; habitatis in agris
Nobilium veteri stemmate progeniti,
Et vos, diductis huius sub Principis alis,
Quos huc vsq; Vrbes incoluisse iuuat.
Et vos, qui duros didicistis ferre labores
Agricolæ, extinctum flete, dolete, Ducem

Tu/quoq; lugubri veſtita Eccleſia palla,
Patrono vero iam ſpoliata, geme.
Et tu Pieridum ſacris ô dedita turba
Triſtia largifluis fletibus ora riga.
Quicquid flere poteſt lachrymis non temperet vllis,
Lugendi effuſè copia magna data eſt.
Scilicet hoc ipſum eſt, quod cœlo incognita flamma
Ignibus inſolitis eſt minitata diu.
Ni Deus auertat metuenda eſt longa malorum
Et tela & ſeries multiplicata malis.
Nam certum eſt nunq̃ ſpectatum impune Cometen,
Cui non eſt ſimilis lucida flamma tamen.
Sed reliquas ſtellas certauit uincere luce,
Immoto ſemper conſtitit atq; loco.
Longè etiam ſupra criniti ſyderis orbem
Ad ſolium acceſsit Caſſiopæa tuum.
Qualem nulla prius viderunt ſæcula patrum,
Hic annus nobis protulit ecce facem.
Nulla futurorum nos tangit cura malorum,
Pectoribus noſtris nec metus ullus ineſt.
Et, iam præ foribus quæ ſunt, procul eſse putamus.
Reſpectum nemo poſteritatis habet.
Promittunt alij longè fœlicius omen,
Nullius quod ſit nuncia flamma mali.
Sed toto ne errent cœlo, propiuſq; periclum
Sit metuo, q̃ quis cenſeat eſſe prope.

O vti

O vtinam fallar, prædicat vt omnia læta,
Falſiloqua & Vates dicar vbiq; licet.
Ille meus Princeps Patriæ Pater occidit eben
Barnimus ſenior, Dux pietate grauis.
Ominis an non eſt ſatis? O ſors aſpera fati
E medio ſemper tollere ſueta bonos.
Dignus erat Pylios ſenium producere in annos,
Mathuſalemq; velut viuere ſæcla nouem.
Dignus erat qui non morti ſuccumberet atræ
Exemplum veræ nam bonitatis erat.
Sed viſum eſt ſuperis aliter, qui cuncta gubernant,
Et vitæ ſtatuunt unicuiq; modum.
Attamen ætatis Decadum ſeptem atq; duorum
Curriculum annorum cum moreretur erat.
Eſt breue curriculum fateor, ſed currere paucis,
Ad finem mundo iam properante, datur.
Nam paucos certè ſic Iuppiter æquus amauit
Paſſibus vt paribus currere poſſe daret.
Vita fugax hominum eſt, duris obnoxia fatis,
Quodq; bonum eſt totum mors truculenta rapit.
Mortuus eſt, vita magna cum laude peracta,
Quem nemo dicet criminis eſſe reum.
Et magis atq; magis ſeri poſt longa nepotes
Tempora laudabunt Principis acta mei.
Aonidum teneris eſt caſtra ſecutus ab annis,
Et primum didicit prima elementa domi.

Post cum ter vitæ quinquennis Olympias acta est,
Leucoream accessit nobilitare scholam.
Tempore quo primum cœpit pugnare Lutherus,
Ausonij damnans dogmata falsa Papæ.
Et tunc è puris doctrinam fontibus haustam
Imbibit & sapuit, ceu noua testa solet.
A teneris annis adeò est assuescere multum
Quod iuuenis didicit scit memorare senex.
Et possum verè testari tempore ab illo
Quod fuerit puræ Relligionis amans.
Res ipsa & loquitur, testantur pulpita cuncta
Omnibus in templis omnibus atq; scholis.
Quod docuit sanctus scriptis & voce Lutherus
Hoc omnes voluit voce docere pari.
O vtinam hæc eadem vox incorrupta Lutheri
Omnibus in templis semper vbiq; sonet.
Bella crepant alij, sed noster Pacis amator
Sincera coluit Relligione Deum.
Contentus proprijs alijs aliena reliquit
Obtinuit rursus quæq; fuere sua.
Nemo etenim hostili nos vnq̃ Marte petiuit
Viuere dum nostro fata dedere Duci.
Pacis amans Princeps meritò dicendus vbiq;
Quem Pax ad tepidos est comitata rogos.
O Deus, astriferi fabricator maxime Olympi,
Da pacem posthac, bellaq; pelle procul.

Est

Est etenim innumeris potior pax vna triumphis,
Nulla salus bello, pax colit arua, Deum.
Iustitiam coluit cum mansuetudine magna,
Vim nulli faciens, omnibus æquus erat.
Rursus & hunc omnes ex æquo subditi amabant,
Et puer & iuuenis, fœmina, virq; senex.
Res, corpus, vitam certis offerre periclis
Crede mihi nemo qui dubitaret erat.
Tutus ab insidijs potuit committere tuto
Charum subiectis absq; timore caput.
Ille meus Princeps Patriæ Pater occidit eheu,
Barnimus senior, dux pietate grauis.
Quicquid flere potest lachrymis non temperet vllis,
Lugendi effusè copia magna data est.
Vltima namq; tibi hæc æquum est persoluere iusta
O Princeps cordi semper amate meo.
Nunc ergo in Domino Princeps Barnime quiesce
Ad Mundi extremum suauiter vsq; diem.
Quo Christus veniet cum Maiestate triumphans
Angelica incipiet quando sonare tuba.
Omnibus extinctis cum, surgite, surgite, dicet
Quos inde à primo mors iugulauit Abel.
Iudicium exercens agnos seiunget ab hœdis
Diceturq; malis ite, venite bonis.

Epi-

EPITAPHIVM.

HAC Pomeranorum Dux fortis & inclytus Heros
Barnimus senior contumulatus humo est.
Qui mox à teneris imbutus voce Lutheri
Sinceræ didicit Relligionis opus.
Nam tunc cum primum cœpit pugnare Lutherus
Leucoreæ subijt culta Lycæa scholæ.
Totius & vitæ decursu tempore ab illo
Sincera coluit Relligione Deum.
Pectore mansueto populos in pace gubernans
Exemplum studuit Principis esse boni,
Ius dixit cunctis habito discrimine nullo;
Patronum expertus diues inopsq; parem.
Quatuor atq; decem cum vitæ lustra peregit
Extremum magno clausit honore diem.

FINIS.



